

2. Sublimius autem est, quia per ipsum homo ad divinam similitudinem precipue accedit, quae omnia in sapientia fecit: unde quia similitudo causa est dilectionis, sapientiae studium precipue Deo per amicitiam conjungit: propter quod Sap. VII. 14. dicitur: quod sapientia est infinitus thesaurus hominibus; quo qui usi sunt, facti sunt participes amicitiae Dei.

3. Utilius autem est, quia per ipsam sapientiam ad immortalitatis regnum pervenitur. Concupiscentia autem sapientiae deducet ad regnum perpetuum: Sap. VI. 21.

4. Jucundius autem est, quia non habet amaritudinem conversatio illius, nec tedium convictus illius, sed laetitiam, & gaudium: Sap. VIII. 16.

Assumpta igitur ex divina pietate fiducia, sapientis officium prosequendi, quamvis proprias vires excedat, propositum nostrae intentionis est veritatem, quam fides catholica profiteretur, pro nostro modulo manifestare, errores eliminando contrarios. Ut enim verbis Hilarii utar (Lib. I. de Trin. cap. 5.) Ego hoc vel precipuum vitae meae officium debere me Deo conscius sum, ut eum omnis sermo meus, & sensus loquatur.

Contra singulorum autem errores difficile est procedere propter duo.

Primo, quia non ita sunt nobis nota singulorum errantium dicta sacrilega, ut ex his quae dicunt, possimus rationes assumere ad eorum errores destruendos. Hoc enim modo usi sunt antiqui doctores in destructionem errorum Gentilium, quorum positiones scire poterant: quia & ipsi Gentiles fuerant, vel saltem inter Gentiles conversati, & in eorum doctrinis eruditi.

Secundo, quia quidam eorum, ut Macometistae, & Pagani, non conveniunt nobiscum in auctoritate alicujus Scripturae, per quam possint convinci; sicut contra Judaeos disputare possumus per verus testamentum, contra haereticos per novum. Hi vero neutrum recipiunt: unde necesse est ad naturalem rationem recurrere, cui omnes assentire coguntur, quae tamen in rebus divinis deficiens est.

Simul autem veritatem aliquam investigantes ostendimus, qui errores per eam excludantur, & quomodo demonstrativa veritas, fidei Christianae religionis concordet.

CAPUT III.

Quod in iis quae de Deo confitemur, duplex est veritatis modus.

Quia vero non omnis veritatis manifestandae modus est idem (disciplinati autem hominis est tantum de unoquoque fidem cupere tentare, quantum natura rei permittit, ut à Philosopho optime dictum est (I. Eth. cap. 11.) & Boetius (de Trin. cap. 11.) introducit) necesse est prius ostendere quis modus possibilis sit ad veritatem propositam manifestandam.

Est autem in his quae de Deo confitemur, duplex veritatis modus. Quaedam namque vera sunt de Deo, quae omnem facultatem humanae rationis excedunt, ut Deum esse trinum, & unum. Quaedam vero sunt, ad quae etiam ratio naturalis pertingere potest, sicut est Deum esse, Deum esse unum, & alia hujusmodi: quae etiam Philosophi demonstrative de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis. Quod autem sint aliqua intelligibilia divinorum quae humanae rationis penitus excedant ingenium, evidenter apparet.

Probatum primo. Cum enim principium totius scientiae quam de aliqua re ratio percipit, sit intellectus substantiae ipsius, eo quod secundum doctrinam Philosophi (Poster. II. text. comm. 11.) demonstrationis principium est quod quid est: oportet quod secundum modum quo substantia rei intelligitur, sit eorum modus quae de re illa cognoscuntur. Unde si intellectus humanus alicujus rei substantiam comprehendit, pura lapidis, vel trianguli; nullum intelligibile illius rei facultatem humanae rationis exceder. Quod quidem nobis circa Deum non accidit; nam ad substantiam ipsius capiendam intellectus humanus non potest naturali virtute pertingere, cum intellectus nostri, secundum modum praesentis vitae, cognitio à sensu incipiat. Et ideo ea quae in sensum non cadunt, non possunt humano intellectu capi, nisi quatenus ex sensibus earum cognitio colligitur. Sensibilia autem ad hoc ducere intellectum nostrum non possunt, ut in eis divina substantia videatur quid sit, cum sint effectus causae virtutem non aequantes. Ducitur tamen ex sensibilibus intellectus noster in divinam cognitionem, ut cognoscat de Deo quia est, & alia hujusmodi quae oportet attribui primo principio. Sunt igitur quaedam intelligibilia divinorum quae humanae rationi sunt pervia; quaedam vero quae omnino vim humanae rationis excedunt.

2. Adhuc ex intelligibile gradibus idem est facile videre. Duorum enim quorum unus alio rem aliquam intellectu subtilius intuetur, ille cujus intellectus est elevatior, multa intelligit quae alius omnino capere non potest; sicut patet in rustico, qui nullo modo Philos. subtiles considerationes capere potest; intellectus autem Angeli plus excedit intellectum humanum, quam intellectus optimi Philos. intellectum rudissimi idiotae: quia haec distantia inter speciei humanae limites continetur, quos angelicus intellectus excedit. Cognoscit quidem Angelus Deum ex nobiliori effectu quam homo, quanto ipsa substantia Angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur naturali cognitione, est dignior rebus sensibilibus, & etiam ipsa anima, per quam intellectus humanus in Dei cognitionem ascendit; multoque amplius intellectus divinus excedit angelicum, quam angelicus humanum. Ipse enim intellectus divinus sua capacitate substantiam suam adaequat, & ideo perfecte de se intelligit quid est, & omnia cognoscit quae de se ipso intelligibilia sunt; non autem naturali cognitione Angelus de Deo cognoscit quid est, quia & ipsa substantia Angeli, per quam in Dei cognitionem ducitur, est effectus causae virtutem non adaequans: unde non omnia quae in se ipso Deus intelligit, Angelus naturali cognitione capere potest, nec ad omnia quae Angelus naturali sua virtute intelligit, humana ratio sufficit capienda. Sicut igitur maximae amentiae esset idiota, qui ea quae à Philosopho proponuntur, falsa esse assereret; propter hoc quod ea capere non potest; ita & multo amplius nimiae stultitiae esset homo, si ea quae divinitus Angelorum ministerio revelantur, falsa esse suspicatur, ex hoc quod ratione investigari non possunt.

3. Adduc idem manifeste apparet ex defectu quem in rebus cognoscendis quotidie experimur. Reum enim sensibilibus plurimas proprietates ignoramus, earumque proprietatum quas sensu apprehendimus, rationem perfecte in pluribus invenire non possumus: multo igitur amplius illius excellentissimae substantiae transcendentis omnia intelligibilia, humana ratio investigare non sufficit. Huic autem consonat dictum Philosophi, qui in II. Metaph. (text. comm.

comm. 1.) asserit, quod intellectus noster sic se habet ad prima entium, quae sunt manifestissima in natura, sicut oculus vespertilionis ad Solem.

Huic etiam veritati Sacra Scriptura testimonium perhibet: dicitur enim Job 11. 7. Forsitan vestigia Dei comprehendes, & omnipotentem usque ad perfectum reperies? & xxxvi. 26. Ecce Deus magnus, vincens scientiam nostram: & I. Corinth. xiiii. 9. Ex parte cognoscimus. Non igitur omne quod de Deo dicitur, quamvis ratione investigari non possit, statim quasi falsum est abjiciendum, ut Manichaei, & plures infidelium putaverunt. August. Lib. I. Retract. cap. xiv.

CAPUT IV.

Quod divina naturaliter cognita convenienter hominibus credenda proponuntur.

Duplici igitur veritate divinorum intelligibilium existente (una ad quam rationis inquisitio pertingere potest, altera quae omne ingenium humanae rationis excedit) utraque convenienter divinitus homini credenda proponitur. Hoc autem de illa primo ostendendum est quae inquisitioni rationis pervia esse potest, ne forte alicui videatur, ex quo ratione haberi potest, frustra id supernaturali inspiratione credendum traditum esse. Sequerentur tamen tria inconvenientia, si hujus veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio inesset. A fructu enim studiosae inquisitionis, qui est veritatis inventio, plurimi impediuntur tribus de causis. Quidam siquidem propter complexionis indispositionem, ex qua multi naturaliter sunt indispositi ad sciendum: unde nullo studio ad hoc pertingere possent, ut summum gradum humanae cognitionis attingerent, qui in cognoscendo Deum consistit. Quidam vero impediuntur necessitate rei familiaris: oportet enim esse inter homines aliquos qui temporalibus administrandis insistant, qui tantum tempus in otio contemplativae inquisitionis non possent expendere, ut ad summum fastigium humanae inquisitionis pertingerent, scilicet Dei cognitionem. Quidam autem impediuntur pigritia: ad cognitionem enim eorum quae de Deo ratio investigare potest, multa praecognoscere oportet, cum fere totius Philosophiae consideratio ad Dei cognitionem ordinetur: propter quod Metaphysica, quae circa divina versatur, inter Philosophiae partes ultima remanet addiscenda. Sic ergo non nisi cum magno labore studij ad praedictae veritatis inquisitionem perveniri potest: quem quidem laborem pauci subire volunt pro amore scientiae, cujus tamen mentibus hominum naturalem Deus inseruit appetitum.

2. Secundum inconveniens est, quod illi qui ad praedictae veritatis cognitionem, vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent: tum propter hujusmodi veritatis profunditatem, ad quam capiendam per viam rationis non nisi (1) post longum exercitium intellectus humanus idoneus invenitur: tum etiam propter multa quae praexiguntur, ut dicuntur est; tum propter hoc quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima fluctuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem, sed in quiescendo fit prudens, & sciens, ut dicitur in VII. Physic. text. comm. xx. Remaneret igitur humanum genus, si sola rationis via ad Deum cognoscendum pateret, in manibus ignorantiae tenebris; cum Dei cog-

(1) Al. prius post.

nitio, quae homines maxime perfectos, & bonos facit, non nisi quibusdam paucis, & his paucis etiam post temporis longitudinem proveniret.

3. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admisceretur propter debilitatem intellectus nostri in iudicando, & phantasmatum permixtionem. Et ideo apud multos in dubitatione remanent ea quae sunt verissime etiam demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, & praecipue cum videant à diversis qui sapientes dicuntur, diversa doceri. Inter multa etiam vera quae demonstrantur, immiscetur aliquando aliquid falsum, quod non demonstratur, sed aliqua probabili, vel sophistica ratione asseritur: quae interdum demonstratio reputatur. Et ideo oportuit per viam fidei, fixa certitudine, ipsam veritatem de rebus divinis hominibus exhiberi. Salubriter ergo divina providit clementia, ut ea etiam quae ratio investigare potest, fide tenenda praeciperet, ut sic omnes de facili possent divinae cognitionis participes esse, & absque dubitatione, & errore. Hinc est quod Ephes. iv. 17. dicitur: Jam non aubuletis sicut & gentes ambulantes in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum: Et Isaiae LV. 13. Ponam universos filios tuos doctos à Domino.

CAPUT V.

Quod ea quae ratione investigari non possunt, convenienter fide tenenda proponuntur.

Videtur autem quibusdam fortasse non debere homini ad credendum proponi illa quae ratione investigare non sufficit, cum divina sapientia unicuique secundum modum suae naturae provideat. Et ideo demonstrandum est, quod necessarium sit homini divinitus credenda proponi etiam illa quae rationem excedunt. Nullus enim desiderio, & studio in aliquid tendit, nisi sit ei praecognitum. Quia ergo ad aliud bonum quam experiri in praesenti vita possit humana fragilitas, homines per divinam providentiam ordinantur, ut in sequentibus investigabitur, Lib. III. cap. cxlvii. oportuit mentem evocari in aliquid altius, quam ratio nostra in praesenti possit pertingere, ut sic disceret aliquid desiderare, & studio tendere in aliquid quod totum statum praesentis vitae excedit. Et hoc praecipue christianae religioni competit, quae singulariter bona spiritalia, & aeterna promittit: unde & in ea plurima humanum sensum excedentia proponuntur. Lex autem vetus, quae temporalia promissa habebat, pauca proposuit quae humanae rationis inquisitionem excederent. Secundum etiam hunc modum Philosophorum cura fuit, ut patet VII. & XI. Ethic. cap. xiiii. & cap. i. & v. ad hoc ut homines à sensibilibus delectationibus ad honestatem perducerent, ostendere esse alia bona his sensibilibus posteriora: quorum gustu multo suavius qui vacant activis, vel contemplativis virtutibus, delectantur. Est etiam necessarium hujus veritatem ad credendum hominibus proponi, ad Dei cognitionem veriotem habendam. Tunc enim solum vere Deum cognoscimus quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quod naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit, ut supra cap. i. ostensum est.

Per hoc ergo quod homini de Deo aliqua proponuntur quae rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id quod cogitari potest.

A 2

Alia

(1) Al. prius post.



2. Alia etiam utilitas inde provenit, scilicet præsumptionis repressio, quæ est mater erroris. Sunt enim quidam tantum de suo ingenio præsumentes, ut totam naturam divinam se reputent suo intellectu posse metiri, æstimantes scilicet totum esse verum quod eis videtur, & falsum quod eis non videtur. Ut ergo ab hac præsumptione humanus animus liberatus, ad modestam inquisitionem veritatis perveniat, necessarium fuit homini proponi quædam divinitus quæ omnino intellectum ejus excederent.

3. Apparet etiam alia utilitas ex dictis Philosophi in X. Ethic. cap. VII. Cum enim Simonides cuidam homini præmittendam divinam cognitionem persuaderet, & humanis rebus ingenium applicandum oportere, inquiens, humana sapere hominem, & mortalia mortalem; contra eum Philosophus dicit, quod homo debet se ad immortalia, & divina trahere quantum potest. Unde in Libro I. de partibus animalium cap. v. dicit, quod quamvis parum sit quod de substantiis superioribus percipimus, tamen id modicum est magis amatum, & desideratum omni cognitione quam de substantiis inferioribus habemus. Dicit etiam in II. cæli & mundi, text. comm. xxxiv. quod cum de corporibus cælestibus quæstiones possint solvi parva, & topica solutione, contingit auditori, ut vehemens sit gaudium ejus.

Ex quibus omnibus apparet quod de rebus nobilissimis quantumcumque imperfecta cognitio maximam perfectionem animæ confert: & ideo quamvis ea quæ supra rationem sunt, ratio humana plene capere non possit, tamen multum sibi perfectionis acquiritur, si saltem ea qualitercumque teneat fide: & ideo dicitur Eccli. 11.1. 25. *Plurima supra sensum hominis ostensa sunt tibi: & I. Corinth. 11. 11. Quæ sunt Dei, nemo novit nisi Spiritus Dei... nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum.*

CAPUT VI.

*Quod assentire his quæ sunt fidei, non est levitatis, quamvis supra rationem sint.*

Hujusmodi autem veritati, cui ratio humana experimentum non præbet, fidem adhibentes, non leviter credunt, quasi indoctas fabulas securi, ut II. Pet. 1. dicitur. Hæc enim divinæ sapientiæ secreta, ipsa divina sapientia, quæ omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare quæ sui præsentiam, & doctrinæ, & inspirationis veritatem convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea quæ naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit quæ totius naturæ superant facultatem, videlicet in mirabili curatione languorum, mortuorum suscitatione, cælestium corporum mirabili immutatione, & quod est mirabilius, humanarum mentium inspiratione; ut idiotæ, & simplices, dono Spiritus Sancti repleti, summam sapientiam, & facundiam in instanti consequerentur. Quibus inspectis, prædictæ probationis efficacia non armorum violentia, non voluptatum promissione, & quod est mirabilissimum, inter persecutorum tyrannidem (1) innumerabiles turbas non solum simplicium, sed etiam sapientissimorum hominum ad fidem christianam convocavit: in qua omnem humanum intellectum excedentia prædicantur, voluptates carnis cohibentur, & omnia quæ in mundo sunt, haberi contemptui dcentur. Quibus animos mortalium assentire, & maximum miraculum est, & manifestum divinæ inspira-

(1) Al. innumerabilis turba.

tionis opus, ut contemptis visibilibus, sola invisibilia cupiantur. Hoc autem non subito, neque casu, sed divina dispositione factum esse, manifestum est ex hoc quod hoc se facturum Deus multis ante Prophetarum prædixit oraculis: quorum libri penes nos in veneratione habentur, utpote nostræ fidei testimonium adhibentes. Hujus quidem confirmationis modus tangitur Hebr. 11. 3. *Quæ, scilicet humana salus, cum initium accepisset enarrari per Deum, ab eis qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis, & portentis, & variis Spiritus Sancti distributionibus.* Hæc autem tam mirabilis mundi conversio ad fidem christianam indicium certissimum est præteritorum signorum, ut ea ulterius iterari necesse non sit, cum in suo effectu appareant evidenter. Esset autem omnibus signis mirabilibus, si ad credendum tam ardua, & operandum tam difficilia, & ad sperandum tam alta, mundus absque mirabilibus signis inductus fuisset à simplicibus, & ignobilibus hominibus, quamvis non cesset Deus etiam nostris temporibus ad confirmationem fidei per Sanctos suos miracula operari.

Hi vero qui sectas errorum introduxerunt, processerunt via contraria, ut patet in Mahumete, qui carnalium voluptatum promissis, ad quorum desiderium carnalis concupiscentia instigat, populos illexit. Præcepta etiam tradidit promissis conformia, voluptati carnali habenas relaxans, quibus in promptu est à carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit nisi quæ de facili à quolibet mediocriter sapiente naturali ingenio cognosci possint; quin potius vera quæ docuit, multis tabulis, & falsissimis doctrinis immiscuit. Signa etiam non adhibuit supernaturaliter facta, quibus solum divinæ inspirationi conveniens testimonium adhibetur, dum operatio visibilis, quæ non potest esse nisi divina, ostendit doctorem veritatis invisibiliter inspiratum; sed dixit se in armorum potentia missum, quæ signa etiam larronibus, & tyrannis non desunt. Ei etiam non aliqui sapientes in rebus divinis, & de divinis, & humanis exercitati, à principio crediderunt; sed homines bestiales, in desertis morantes, omnis doctrinæ divinæ prorsus ignari, per quorum multitudinem alios armorum violentia in suam legem coegit. Nulla etiam divina oracula præcedentium Prophetarum ei testimonium perhibent; quin potius quasi omnia veteris, & novi Testamenti documenta, fabulosa narratione depravat, ut patet ejus legem inspicienti: unde astuto consilio libros veteris, & novi testamenti suis sequacibus non reliquit legendos, ne per eos falsitatis argueretur. Et sic patet quod ejus dictis fidem adhibentes, leviter credunt.

CAPUT VII.

*Quod veritati fidei christianæ non contrariatur veritas rationis.*

Quamvis autem prædicta veritas fidei christianæ, humanæ rationis capacitatem excedat; hæc tamen quæ ratio naturaliter indita habet, huic veritati contraria esse non possunt.

1. Ea enim quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat, in tantum ut nec ea esse falsa sit possibile cogitare; nec id quod fide tenetur, cum tam evidenter divinitus confirmatum sit, fas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum verum con-

tra-

trarium est, ut ex eorum diffinitionibus inspectis manifeste apparet, impossibile est illis principiis quæ ratio naturaliter cognoscit, prædictam veritatem fidei contrariam esse.

2. Item. Illud idem quod inducitur in animam discipuli à docente, doctoris scientia continet, nisi doceat fiste, quod de Deo nefas est dicere. Principiorum autem naturaliter notorum cognitio nobis divinitus est indita, cum ipse Deus sit auctor nostræ naturæ. Hæc ergo principia etiam divina sapientia continet. Quidquid igitur principiis hujusmodi contrarium est, est divinæ sapientiæ contrarium: non igitur à Deo esse potest. Ea igitur quæ ex revelatione divina per fidem tenentur, non possunt naturali cognitioni esse contraria.

3. Adhuc. Contrariis rationibus intellectus noster ligatur, ut ad veri cognitionem procedere nequeat. Si igitur contrariæ cognitiones nobis à Deo immitterentur, ex hoc à veritatis cognitione intellectus noster impediretur; quod à Deo esse non potest.

4. Amplius. Ea quæ sunt naturalia, mutari non possunt, natura manente. Contrariæ autem opiniones simul eidem inesse non possunt. Non igitur contra cognitionem naturalem aliqua opinio, vel fides homini à Deo immititur: & ideo Apostolus dicit Rom. x. 8. *Prope est verbum in corde tuo, & in ore tuo: hoc est verbum fidei quod prædicamus.* Sed quia superat rationem, à nonnullis reputatur quasi contrarium: quod esse non potest. Huic etiam auctoritas Augustini concordat, qui in II. super Genes. ad litteram cap. xviii. dicit sic: *Illud quidem quod veritas patefacit, libris sanctis sive veteris testamenti, sive novi nullo modo potest esse adversum.*

Ex quo evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, hæc ex principiis primis naturæ inditis per se notis non recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophisticæ, & sic ad ea solvenda locus relinquatur.

CAPUT VIII.

*Qualiter se habeat humana ratio ad veritatem fidei primam.*

Considerandum etiam videtur, quod res quidem sensibiles, ex quibus humana ratio cognitionis principium sumit, aliquale vestigium in se divinæ imitationis retinent, videlicet quod sunt, & bonæ sunt; ita tamen imperfectum quod ad declarandam ipsius Dei substantiam omnino insufficientis invenitur. Habent enim effectus suarum causarum suo modo similitudinem, cum agens agat sibi simile; non tamen effectus ad perfectam agentis similitudinem semper pertingit. Humana igitur ratio ad cognoscendum fidei veritatem, quæ solum videntibus divinam substantiam potest esse notissima, ita se habet quod ad eam potest aliquis veras similitudines colligere; quæ tamen non sufficient ad hoc quod prædicta veritas quasi demonstrative, vel per se intellecta comprehendatur. Utile tamen est, ut in hujusmodi rationibus quantumcumque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi, vel demonstrandi præsumptio: quia de rebus altissimis etiam parva, & debili consideratione aliquid posse inspicere, jucundissimum est, ut ex dictis cap. v. in fin. apparet.

Cui quidem sententiæ auctoritas Hilarii concordat, quæ sic dicit in Lib. de Trinit. II. cap. iv. loquens

de hujusmodi veritate: *Hæc credendo incipe, percurrere, persiste: etsi non perventurum sciam, gratulabor tamen profecturum. Qui enim pie infinita prosequitur, etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet procedendo. Sed ne te inseras in illud secretum, & in arcana interminabilis veritatis non te immergas, summam intelligentiæ comprehendere præsumens; sed intellige incomprehensibilia esse.*

CAPUT IX.

*Ordo, & modus procedendi in hoc opere.*

EX præmissis igitur evidenter apparet sapientis intentionem circa duplicem veritatem divinorum debere versari, & circa errores contrarios destruendos: ad quarum unam investigatio rationis peringere potest; alia vero omnem rationis excedit industriam. Dico autem duplicem esse veritatem divinorum non ex parte ipsius Dei, qui est una & simplex veritas, sed ex parte cognitionis nostræ, quæ ad divina cognoscenda diversimode se habet.

Ad primæ igitur veritatis manifestationem per rationes demonstrativas, quibus adversarius convinci possit, procedendum est. Sed quia tales rationes ad secundam veritatem haberi non possunt, non debet esse ad hoc intentio, ut adversarius rationibus vincatur, sed ut ejus rationes quas contra veritatem habet, solvantur, cum veritati fidei ratio naturalis contraria esse non possit, ut ostensum est cap. vii. Singularis vero modus convincendi adversarium contra hujusmodi veritatem, est ex auctoritate Scripturæ divinæ confirmata miraculis. Quæ enim supra rationem humanam sunt, non credimus nisi Deo revelante. Sunt tamen ad hujusmodi veritatem manifestandam rationes aliquæ verisimiles inducendæ, ad fidelium quidem exercitium, & solatium; non autem ad adversarios convincendos: quia ipsa rationum insufficientia eos magis in suo errore confirmaret, dum æstimarent; nos propter tam debiles rationes veritati fidei consentire.

Modo ergo posito procedere intendentes, primum nitentur ad manifestationem illius veritatis: quam fides profiteretur, & ratio investigat, inducendos rationes demonstrativas & probabiles: quarum quasdam ex libris Philosophorum, & Sanctorum collegimus, per quas veritas confirmetur, & adversarius vincatur.

Deinde ut à manifestioribus nobis ad minus manifesta fiat processus, ad illius veritatis manifestationem procedemus quæ rationem excedit, solventes rationes adversariorum, & rationibus probabilibus, & auctoritatibus, quantum Deus dederit, veritatem fidei declarantes.

Intendentibus igitur nobis per viam rationis prosequi ea quæ de Deo ratio humana investigare potest, primo occurrit consideratio de his quæ Deo secundum seipsum conveniunt. Lib. I. Secundo vero de processu creaturarum ab ipso. Lib. II. Tertio autem de ordine creaturarum in ipsum sicut in finem. Lib. III. Inter ea vero quæ de Deo secundum seipsum consideranda sunt, præmittendum est quasi totius operis necessarium fundamentum, consideratio qua demonstratur Deum esse. Quo non habito, supposita omnis consideratio de rebus divinis necessario tollitur.